

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS

De
AUDITIONE
LÆSA,

Quam

Cum bono DEO & Autoritate Amplissimæ
Facultatis Medicæ

In Illustri Academia Wittenbergensi

Pro Licentia & summis in re Medicâ ho-
noribus consequendis

PRÆSIDE

VIRO Excellentissimo, Clarissimo & Experientissimo

Dn. MARCO BANZERO

Med. Doct. ejusdemq; Profess. Ordinar. &
Primario, & Facult. Seniore,

Dn. Promotore, & Præceptore suo summâ
observantiâ colendo.

publico eruditorum examini subjicit

Gottfried Acidalius Marchicus,

Illustriss. Duc. Holsat. Medicus.

In aroaterio majore horis ante & pomeridianis.

a. d. 19. Nov. Anno ∞ 15C XXXX.


WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr,

25
Illustriss. ac Celsissimo Principi
& Domino,

Dn. JOACHIMO ERNESTO
Hæredi Norwegiæ, Duci Schleswig, Hol-
latiæ, Stormariæ, & Dithmariæ,
Comiti in Oldenbourg &
Delmenhorst:

Domino suo Clementissimo,


hanc Disputationem,

humiliter offert

ipſius Celsitudinis

devotiſſimus Medicus

Gottfried Acidalius
theſ. Author.



CUM BONO DEO!

DISPUTATIO MEDICA IN-
AUGURALIS

De
Auditione Læsâ.

Siquid jucundum, utile & neces-
sarium in communi vitâ homi-
ni accidit, facit sanè auditio.
Hæc enim recreat fessum, & la-
psum erigit animum. Hæc mu-
tuam societatem fundat, confirmat & con-
servat. Hujus beneficio omnem ferè scien-
tiam, sapientiam & prudentiam ab aliis acci-
pimus; Ita ut ad capessendam doctrinam in-
eptus ille sit, cui Natura hunc sensum nega-
vit. Et sanè si ex jacturâ rei dignitatem li-
ceat æstimare, destruit loquelam surditas.
Surditas facit ut homines visu & tactu suo
ferè non aliter ac bruta utantur. Ita Crœ-
sus alterum filium auribus captum pro nullo
reputat. Nam nihil est in ratione & intelle-
ctu, quod non prius fuit in auditu. Hic est
mentis janua; hic memoriæ & animi sedes,

Scal. Exc. 212.

218. 297.

298. 302.

Lactant. l. 3.

Div. Inst. c. 9.

*Aristot. de
sens. c. 1.*

Arist. l. 3 de

an. c. 8. t. 39.

& post. anal.

l. 1. c. 15. t. 33.

Herod. l. 1.

Constant.

Xerxes Ph:

Plin l. 11. c. 45

Poll. l. 2.

A 2

hic



Rom. 10.

hic Judicis & Regis oculus. Hujus ope & temporalem & æternam consequimur salutem. Quæ cum sint, ut sunt, non peccare videor, si nobilissimum hunc thesaurum, ejusq; tam tortuosum tam admirandum, quo delitescit, antrum, paulò penitiùs introspectiam. Cognito enim modo, quo secundum naturam peragitur auditio; & modus quo læditur, læsaq; quo ad possibile restituitur, innotescet.

THESIS I.

Est autem Auditio actio potentia auditivæ, quæ anima audibilem sonum per sonoras species in medio aere ad aurem diductas & multiplicatas ductu nervi auditorii ad communem sensum perducit, ut eas cognoscat & discernat.

Cic. in ep.

Th. 2. *Definitum* auditio est, qua voce hoc loco non famam, sed eam intelligimus actionem, quam Græci *αἰσθησις* & Latini auditum appellant. Licet aliàs auditus & auditio, ut sensus & sensatio, & ut actus & potentia differant.

Th. 3. *Definitio* constat conceptu determinabili & determinante. Ille complectitur genus & differentiam.

l. 2. d. an. c. 5.

t. 51. & d. 1.

c. 11. t. 118.

7. Phys. c. 2.

t. 12. de sens.

c. 1. 4. & c.

7. de plac. c. 6.

Th. 4. *Genus* est actio. Aristoteles quidem sensum passionem & alterationem quandam esse asserere videtur. Galenus tamen scripsit, eum non alterationem, sed alterationis esse dignotionem. Unde Philosophorum alii auditionem esse passionem, alii actionem esse, malunt. Verum quantum vident alii, utraq; sententia veritatis quid possidet. Cum enim actio non inveniatur sine passione & motus activus à passivo non re, sed solâ ratione distinguatur: ita in auditione quoq; alteratio & pas-

passio quædam erit, attamen non pura, sed quæ actionem
habet sociam. Ipse Aristot. animam docet effectricis
causæ rationem habere, cum omnes functiones viventi-
bus proprias exequatur & administret. Et sanè ut in
tympano aëreque; inplantato receptio specierum sonora-
rum est passio absque; omni dubio, ita hæc auditionem
non absolvit. Si enim sola receptio esset sensatio, omnis
actio à specie sensibili proficisci deberet, & in quidvis a-
geret sensumque; efficeret, speculum videret & dormientes
omnia audiremus. Quin nos ipsi aliis intenti quæ pro-
feruntur non audimus. Requiritur itaque; necessariò spi-
rituum animalium intentio & animæ dijudicatio. Er-
gò actio ad auditionem concurrat & eam absolvit. Ta-
ceo cum omnis sensio sit operatio vitalis, & ab interno
activo motionis principio proficiscatur; auditionem esse
etiam actionem: Tam sensilis sensitivique; eandem esse
actionem circa potentiam identitate subjecti circa quod
fit & in quo recipitur.

Th 5. Et quidem hæc actio realis & physica est, cum
actio potentie auditivæ sit operatio vitalis, & hæc actio
inmanens, quæ terminum suum ut proprium finem ha-
bet, eumque; cum sit intrinseca, intrinsecum. Cum verò actio
non significet formam, quæ habet propriam entitatem,
sed modum alicujus formæ & entitatis, scilicet depen-
dentiam ejus ab agente: Atqui de ratione modi sit, ut sit
alicujus rei modus, & dependentia non possit esse sine
eo, quod dependet; vocatur hoc terminus actionis, qui est
auditivæ potentie effectio. Unde non nego, si hic ter-
minus formaliter consideretur, eum qualitatem esse, quæ
objectum potentie auditivæ objective præsens formali-
ter à potentia percipitur, idque; objective per speciem in
esse & apparentiam objectivam, vel apprehensivè & in esse
concepti.

Th 6. Differentia generis seu actionis consistit in eo,
quod sit potentie auditivæ actio, quæ potentia est admi-
nistra animæ, ita dicta, quod audiendi officio sit destinata.

l. 2. de an. c. 4.

t. 37.

Job. Gram.

in. 2. de an.

t. 127.

Aristot. l. 3. de

de an. c. 2.

t. 144. & de

gen. an. l. 2.

c. 23.

Arist. d. sens.

c. 2.

D. Thom. in

com. l. 3. d.

an. c. 2.

Arist. 9. me-

taph. 8.

Zab. de sens.

ag. c. 9.

Plemp. l. 2.

Opht. c. 20.

*Cass. de sens.
extr. ingen.*

Quatenus enim cum organo complicata est, objectum sonorum recipit, quatenus autem in anima radicatur, ipsum objectum receptum sentit. Verum controversatur, utrum hæc potentia auditiva e. g. in homine & talpâ specie differant? quod affirmandum reor, cum anima hominis & talpæ specie discrepent, tum specie differentes effectus producant, tum duorum hominum potentia auditiva essentialiter solo numero sint diversa, unde differunt plus quam numero potentia hominis & talpæ, E specie. Quod si accuratius loquendum actionem potentia seu dijudicationem, non autem sonorum specierum receptionem, quæ eadem esse videtur, specie differre dicendum erit. Unde & illud controversum elucet, quod homini, si auditus essentiam & non accidentia respicias, auditus sit perfectissimus.

Tb. 7. Conceptus determinans continet objectum, medium & causam.

Tb. 8. Objectum quatenus in actu consideratur, percipit auditus per se & per accidens. Per accidens quidem rerum substantias; per se cum proprio suum sensibile, tum commune cognoscit.

Tb. 9. Proprium sensibile & adequatum objectum auditus, quod sub nullum alium sensum cadit, & quod totam exhaurit potentia latitudinem, continet Rem consideratam, & modum considerandi s. rationem formalem.

Tb. 10. Res considerata sonus est. Est autem sonus qualitas passiva producta ex aeris & aquæ interceptione elisione & fractione sonantium corporum collisionem insequente, quæ sensum auditus sua specie movere potest. Soni itaque cause sunt efficiens, materialis, formalis & finalis. Efficiens quidem sunt corpora, horumq; alterum percutiens alterum percussum, ita tamen ut percutiens non habeat percussi rationem quatenus percutit, & contra unde utrumq; corpus circa soni productionem ut agens se habet, non enim collisionem sed aeris fractionem proximè sonus sequitur. Nisi tamen collidantur sonus effici nequit. Neq; corpora omnia ad sonum

sonum edendum eodem modo apta sunt, sed ea quæ aerem comprimere & frangere possunt. Ita solida dura levia & concava aliis præferuntur, & ut levia, e. g. domus nuper illita, magis resonant, ita inæqualia & aspera minus, unde paleis in orchestrâ sparsis vox chori minor auditur. Per solida autem corpora non dura duntaxat intelligo, sed & fluida, quatenus suis terminis contineri videntur, resistunt & contra aliud corpus se obdurant. Ita aer non est solidum, dum tamen flagello vel bacillo percutitur in unum quasi collectus & aggregatus solidi naturam induit, flagello resistit, & ita ex collisione aeris aggregati & flagelli sonus generatur, similiter de aliis iudicandum.

Th. 11. *Materialis soni causa*, quam & corpus interceptum nominare solent, est solidum, cuius consist. ntia Geometrica seu partium situs fluore aliquo constitutus est; unde & aer & ignis & aqua corpus interceptum esse possunt. Verum disputant hic alii, utrum fluida dicta corpora causæ effectricis rationem possint obtinere, quippe cum & corpus percussum & interceptum esse nequeat. Quibus breviter responsum volumus, quod secundum diversas sui partes aer & corpus percussum & interceptum & medium esse possit. Numerus enim non ex corporum multitudine sed actionum varietate sumitur. At hæc controversia ansam præbet ad graviolem alterationem, quâ quaeritur utrum sonus sit in dictis corporibus percutiente & percusso, an verò in medio & intercepto. Cum autem subjecta accidentium ea sint, quæ materia iter ad eorum interveniunt productionem, & sonus à vento impediatur: corpori intercepto actu inesse sonum jure statuitur. Licet potentiâ percutientibus æquè insit, & induci possit, unde eorum oritur resonantia, quæ admoto alio corpore ut novo actu sedatur.

Th. 12. *Causa formalis soni* est ipsa qualitas aeri ob collisionem impressa. At qualitas hæc non potest aeri communicari, nisi aer addensetur quoniam qualitates, quæ sensum movent, subjectum, in quod per se sunt, densum requirunt. Ita aer ex illa collisione ab omnibus lateribus attrahitur & in angustum

*Arist. l. 2. de
an. c. 8. t. 77.*

15 sect. probl.

7.

sect. 11. probl.

25.

gustum cogitur primum rarefactione, dein subitâ condensatione, tum subitâ rarefactione partis post partem more undularum, quando circuli in iis conspiciuntur ex jactu lapidis. Hanc autem condensationem & circularem expansionem si quis negare velit, eum ad pueros remitto, qui in plateis canaliculos ex sambuco factos explodunt, & flatu turgentes vesicas insultu frangunt. Ita sonum circulari motu gaudere vel illud ostendit, quod criptæ cameratæ admodum sint sonoræ. Si quis contra alteram absidis partem loquitur, alter alteri extremo adstans melius percipit vocem, quam qui in medio consistit. Sic Italiæ quidam Princeps cameram tubulatam construxit, in qua quidquid alij submissè exterius loquebantur, exaudivit. Rex Daniæ in viridarii secessu Regio, qui est Haffniæ, mensæ adfidentis, facie parietem versus versa imperat submissa voce longius januam adstantibus aulicis quicquid cupit expeditum.

Tb. 13. Ut autem collisio corporum efficit sonum neque tamen sonus est; ita illa subita inde facta aëris propagatio imprimit aeri sonoram speciem, quæ est qualitas ab objecto audibili producta apta cum potentiâ proximè concurrere ad auditionem. Cum enim sensus sit id quod est susceptivum formarum sine materia, eo modo quo cera formam sigilli recipit; formæ erunt idola, imagines vel species objectorum potentiis impressæ, quandoquidem necessarium est, ut cognitio sensitiva fiat per assimilationem potentiæ cum objecto. At cum objectum sensibile secundum realem & materiale suam existentiam sensui spiritali assimilari & communicari non possit, opus est medio quodam per quod objectum spiritaliter se multiplicet. Dari itaque species sensibiles, utut contradicant Platonicæ, & ratio & sensus demonstrat. Non enim species visibiles facile quispiam negare poterit, qui speculum, qui integrum remum alterâ parte aquâ submersum altera existentem tanquam fractum, qui nummi in vasis fundo submersi imaginem in suprema aquæ superficie, virorem item foliorum in vestibus sub arboribus æstate intuetur; vel cameram Joh. Bapt. Portæ ingreditur, nisi suis oculis & sensu fidem velit

*Aristot. l. 2.
de an. c. 12.
t. 121.*

*3. de an. c. 2.
t. 138.*

*Aristot. l. 2.
de an. c. 2.*

*Zabar. de
sens. ag. c. 3.*

Cœl. l. 15. c. 1.

Plot. l. 5. En.

8. Durand.

in 2. Dist. 3.

q. 6. Occ. in

2. q. 17. § 18.

l. 17. mag.

nat. c. 6.

velit detrahere. Quod si dentur species visibiles & audibiles erunt. In vase enim aëneo clauso sentimus motum inclusi lapilli, non per sonum, aer enim intus collisus & fractus & sonus conclusus externum aerem aliter ac per speciem sonoram afficere non potest. Ita in locis occlusis, quibus externus aer communicari non potest, per parietem & medium solidum audimus. Videmus teste Joh. Keplero & *αυτοψία* chordas ejusdem soni in eodem & diversis instrumentis musicis una earum tacta moveri; at non per aeris motum, neque per sonum. Hic enim ad remotum instrumentum musicum non pertingit, ille vero inæqualiter chordas moveret, ergo moventur dictæ chordæ per speciem soni. Quæ omnia satis demonstrant dari species audibiles, earumq; beneficio fieri auditionem.

Tb. 14. Taceo itaque jam diu explosa antiquorum dogmata, quæ in libris physicis, dum de auditu agunt, refutant Neoterici, & suas substituunt sententias. Horum autem alij asserunt semper ex realis soni ejusdem numero & aeris defluxu ad aurem fieri auditionem, aerem vero non agere quatenus motum sed quatenus sonum secum vehit. Verum ita multi non possent eundem sonum integrum audire, quia integrum aeris circulum non capiunt auribus, & una aeris particula immediate non potest in integro multiplicari. Atqui mille homines unam concionatoris audiunt vocem; tota civitas unius campanæ percipit sonationem; accedit quod debilis illa aeris percussio, dum aliquis loquitur, tantum aeris non perirumpere posse videatur. Neque cum pars aeris percutitur, totus aer movetur, aliàs enim sonus in infinitum extenderetur. Et tandem audimus sonum cum distantia & situ, quod fieri non posset, si ille realiter ad aures usque diffunderetur. Nam sonus, qui sentitur, non est nisi in auribus, atque illic sonans percipitur. Ergo sonus non realiter semper defertur ad aures. Sunt, qui ultimâ fortean ratione ducti sonum cum gradu realitatis propagari aut mant, ita ut una pars aeris alium semper impellat, & numero alium sonum per sphericam & orbicularem aeris impulsionem communicet. Verum cum motu

B

localis

Arist. 8. Phys.

c. 7.

localis non nisi ad ubi contendat, nec ullam novam realitatem mobili ex se inferat, non video qua veritatis fundamento hæc sententia nitatur. Repugnat & huic velocitas perceptionis, quæ dissitum etiam concionatorem perorantem sat citò audimus: si enim successione variorum se invicem insequentium motuum aëris fieret istius soni auditus, insignis mora in audiendo posset animadverti, neq; eundem sed numero alium sonum audiremus. Deniq; si duo se invicem obloquerentur & harmonicè canerent impedirentur & confunderentur isti circuli, nihilq; de cantu distinctè audiremus: vel aure dextra ab eo latere, sinistra sinistro, alteraq; aure obtusa, utpote cum circuli ad illud latus duntaxat appellerent, unum perciperemus canentem. Oporteret quoq; in variis sonis eundem & quidem parvum auris aerem variis cieri motibus. Quæ meò quidem iudicio monstrant, sonum non semper realiter ad aures deferri.

Tb. 15. Utrum autem quandoq; sonus ad aures deferatur, & utrum sonus ad aurem delatus auditum per se moveat, res est alterius indaginis. Quantum ad primum, sonum ad aurem externam posse deferri concedo, quin & si ille aer meatui auditorio inclusus, quod tamen tragus non facillè permittit, sono ita sit refertus, ut tympani membrana inter basin & verticem soni sit collocata auditionem non fieri, quin & lædi, facillè mihi persuasum habeo. Ut enim objectum visibile charta supra sensorium oculum posita non videtur, vel in charta oculo proprius admota litteras vel non videmus vel non discernimus, excellensq; visibile visum interimat: Ita idem evenire autumo in auditu. Non tamen ut auditus immediatè lædatur ab objecto, sed solummodo per accidens, & quasi immediatè & indirectè ex læsione organi, à quod tanquam à subjecto dependet in esse & conservari. Corruptio autem accidentis ad corruptionem subjecti per accidens vocatur non per se. Cum itaque sonus realiter organum adoritur, motus aeris concutit omnia

*Arist. l. 2. de
an. t. 123.*

Gal 10. VJ.

Part. c. 3.

Albert. M.

l. 2. d. an. tr.

4. c. 9. Ol.

Magn. l. 1.

c. 19.

omnia, adeoq; etiam aerem infitum, spiritus animales,
& capite repleto etiam humores, unde aer internus mo-
tus, sonum aut ejus speciem non suscipere, susceptum
deferre, & dissipato spiritui animali communicare pot-
est: sed vel membrana rumpitur, nervus humore reple-
tur, aer vapore agitatur, & hinc vel surditas vel tinnitus
sequitur. Hinc per speciem movere auditum *Causa finalis*
existit.

Th. 16. Atque hæc de sono in genere dicta sufficiunt,
aliàs sonus est vel simplex & rectus, vel multiplicatus &
reflexus. Sonus simplex est, vel generalis, vel specialis.
Generalis à collisione corporum inanimatorum progna-
scitur: specialis verò ab animali editur, & vocatur vox,
estq; vel inarticulata brutorum vel articulata hominis.
Et quidem hæc æq; ex collisione linguæ palati aerisque
prognaescitur; tamdiu enim sonus in omnibus, quamdiu
inspiratus aer durat, docentq; Hebræi dum litteras suas
distinguunt in gutturales palatinas dentales labiales &
linguales, collisionem earum partium fieri cum aere.
Pro corporum enim inter se collisorum varia ratione &
aeris copia & inopiâ differentias soni fieri tradit Aristo-
teles, & in chordis pulchrè demonstrat Toletus. Hic
simplex sonus aut soni species si in corpus obstans inci-
dat, nova fit quasi collisio, unde reflectitur, & sonus re-
flexus multiplicatus seu echo nascitur. Non tamen est
hic sonus alius numero à priori, cum ille sonus non à
corpore reflectente, quod vocem articulatam edere non
potest, producat, nec speciem aliam producere potis sit.
Unde etiam licet plures loquantur, non tamen sonus
major auditur, teste Aristot.

Th. 17. *Communia* auditus *objecta*, quæ pluribus sensi-
bus sui portionem impertiunt, ab aliis aliter numeran-
tur, quæ tamen ferè ad numerum motum & quie-
tem possunt revocari. Hæc autem non movent
auditum per speciem propriè distinctam à specie objecti
proprii, cum quod sono destitutum, etiamsi objectum,

*Arist. 2. de
an. c. 8.*

sect 19 Probl.

*37. 5 de
Audibil*

d. l. com.

*Arist. l. 2. de
an. t. 80.*

*Tolet. l. 2. de
an. quasi. 2. 2.*

commune obtineat, nequeat audiri: sed determinant speciem proprii audibilis. Unde elucescit hæc esse objecta per se & non per accidens.

Th. 18. At nondum nos expedivimus, disputare audio Philosophos, utrum auditus circa objecta falli possit. Epicurus quidem nunquam, Arcesilaus semper eum mentiri asserit. Me ne neotericorum remorentur conclusa, mediam in eo viam, auditumq; errare posse circa objecta propria non per se sed per accidens puto. Cum enim auditus respiciat proprias soni rationes ut adæquatas, quæ eum movent, naturalis mutua proportio præsupponitur, à quâ & suâ perfectione deficere nequit. Per accidens tamen ratione mediæ, instrumenti objecti nimium remoti &c. hallucinari poterit. Circa objecta verò per accidens & per se communia sæpius errat, cum ipsis ratio objectiva auditus non competat nisi ratione proprii, tum illa minùs quàm propria auditum moveant. *Et tantùm de Objecti Re considerata.*

Th. 19. Sed cum sonus conicè aerem perumpat, species verò sonora sphericè se multiplicent, quærendum hîc foret quousq; harum specierum sphaera activitatis, aut hujus sphaeræ semidiameter se extenderet, seu ad quantam distantiam sonum audire possimus. Verùm cum plures circumstantiæ circa hoc problema considerandæ venirent, & earum leviuscula quædam totum hoc variare possit, discursui istæc reservamus, & rò audibile constituere rei consideratæ soni *medium considerandi* seu *rationem formalem* concludimus.

Th. 20. Verum cum sonora species ut qualitates desiderent subjectum inhæisionis est hoc *Medium*, quod & quale sit paucis. Medium soni est vel notionale vel materiale, de hoc egimus thes. II. Illud notionale est vel externum vel internum. De interno agemus circa auditionis instrumentum th. 30. Externum consideratur ratione adæquationis vel perfectionis, hoc respectu hominis & supra terram existentium, vel in aqua, in terra, degentium animalium, ita ut diverso respectu medium & aereum & igneum & aqueum & terreum

terreum esse possit ut adæquatam. Perfectum autem & pri-
mariū aer est, in hoc enim homo & vivit & sentit, hic sem-
per homini præsens, hic inter objectum & organum medio *Mercat. de*
consistit loco, & ab omni sonorâ qualitate immunis est. Et *sens. ext.*
cum ignis veluti aer expurgatus sit Aristotele teste. Piscesq; *Q. 157. N. 5.*
audiant. Audiant & Vrinantes in fundo maris fragorem & *2. Met. 2.*
clariorem sermonem supra aquam loquentium secundum *Scal. Exc. 61.*
Keckermannum. Testisque Felix ille Platerus sit se puerum *f. 4. Tolet. in*
collisionem lapidum sub aquâ audivisse. Submersos etiam *com. l. 2. de*
ad extremum audire, percipiamus. Cur non & ignem & aquam *an. c. 7. q. 10.*
pro auditu medio statuam? Nec dicta solummodo, sed et *Syst. Phys. l. 3.*
iam ex his & terrâ mixta corpora medium auditu esse que- *c. 31. T. 1. l. 1.*
unt. Ita per parietem audivimus, noctu aure terræ appositâ, *c. 7. pr. med.*
vel terræ infixi baculi alterâ parte ad morsâ turmam equitan-
tem percipimus, & in cuniculo facto hostem cuniculos agen-
tem exploramus.

Th. 21. Verum dictis nondum nos expedivimus, non
enim absque utilitate medicâ investigatur, qui fiat ut inten-
tionales illæ species sonoræ solida penetrent corpora, cum ta-
men videamus species visibiles iis terminari. Communis,
quæ circumfertur ratio sic exornari posset. Quod species vi-
sibiles ab objecto ad angulum rectum secundum lineam re-
ctam per medium defluant; Audibiles verò per lineas cir-
culares, inde has facilius meatum anfructuosum aère reple-
tum in corpore solido permeare posse, qui dein in aere tran-
quillo se vicissim expandit, unde ea quæ foris accidunt in dô-
mo melius, quam foras ea quæ intus sonant, audimus. Sed
noli fingere in tympano auris tales meatus, præter eam, per
quam egrediuntur sordes, in fenestellæ item ovalis membra-
nula, in pariete item, & argentea vel ferrea cista malleo pro-
be percussa, &c. Alia itaque suberit causa. Mihi equidem ve-
rum videtur speciem magis efficacem & nobiliorem objecto
esse non posse. Cum vero species visibiles promaneant à
superficie coloratâ, & eas etiam in superficie opacâ terminari
necesse est. At sonus non à superficie, quæ lineas pro extre-
mis agnoscit, sed à solido, quod superficiebus terminatur, effi-
citur,

citur, E. & in solidum, & per solidum speciei penetrat virtus. At quorsum hæc inquit Medicus, ad species sordatis definiendas. Philosophus Platonius hoc ipso me captum esse putat. Nam si species dictæ talem obtinent virtutem curâ contrario vento repelluntur, cur non ictu facto statim ac visibiles percipiuntur. Regero prius fieri ratione mediij. Ita Venus circa horizontem aere vaporibus ascendentibus repleto scintillat. Ita æstate mediâ meridie & luce repercussis fortiter radiis solaribus & inde moto medio corpora videmus motitari. Aquâ item motâ speciem injecti lapilli aut nummi non percipimus. Coactio aere nebuloso species visibiles non visuntur, quis verò statuet ventum aerem non condensare & movere. Verum hæc duntaxat ratione mediij dicta sunt, quibus accedit, quod ventus aerem, in quo sonus subjectum & suum esse materiale habet perpellit. Alterum quod attinet norunt Philosophi lineam rectam visivam, quâ species ab objecto visibili ad oculum transit, norunt lineas seu motum sonorum specierum fieri per lineas circulares. At motus rectus tantum spatij & temporis æquè ac circularis non desiderat; perspicuum item magis ac transonorum purum est. Lumen in momento totum penetrat aërem, collisio corporum fit cum longiore temporis successu. Noli itaq; mirari cur prius ictum videas quam sonum percipias, cur item in aere quieto & concluso, externus enim semper motitur, nullam ferè harum specierum sentias moram & tantum de medio.

Th. 22. Causa alia est Efficiens alia Finalis. Efficiens est vel principalis vel instrumentalis. Instrumentalis auris est. Hujus partes aliæ sunt similes aliæ organice. Similes sunt cuticula cutis cartilago &c. Organice variæ sunt, quæ constituunt aurem, eamq; vel externam vel internam.

Th. 23. Externa auris auricula dicitur, cujus magnitudo, figura, & numerus nemini nisi cæco ignota sunt. Magnitudinem & figuram eam nacta est, ut commodè, numerum ut perfectè & cum distantia soni species posset haurire. Partes variæ sunt diversis insignitæ nominibus, quæ ex Ruffo Ephes. & Ana-

*Hipp. in
Coac. Aph.
192. Sc.*

*l. 1. de App.
hum. corp.
c. 6.*

& Anatomicis addiscuntur. Alligatur ossi petroso ligamento à pericranio producto, & musculis quatuor, quorum delineamenta Gal. 16. VI. Part. 6. & 11. d. l. 12. animadvertit, firmius in suâ sede continetur. Horum musculorum beneficio auricula, quæ ut plurimum sec. Arist. immobilis, in quibusdam hominibus pro arbitrio movetur, referente Schenck. Nervorum quatuor recipit ramulos à secunda cervicis conjugatione, arterias à carotidibus, venas à jugularibus. Harum scarificationem Hippocr. commendat, quando cedmata aut diurni articulorum affectus aliquem infestant. Vallesius notat Saracenos in pluribus morbis salutariter cauterio eas urere. Galenus eas religiosè in antiquis lienis & epatis morbis secare jubet. Riolanus reflecto ramo, qui antitragum perreptat, miraculi instar multoties vidit sedatam odontalgiam, fortean quod ustione & sectione commeatus serosi humoris, qui per hunc defluit, intercipiatur. Et cum auriculæ absentia ut fluctuantem sonum percipiamus, faciat; ejus præsentia eum colliget & perfectius recipiet, hinc vanni in modum est expansa, cartilaginea ne in se subsidat, anfractuosa ut receptæ species circulariter moveri suctæ, colligantur & tranquillæ magis per meatum auditorium, cui tragus ne vicissim elabatur, appositus est, deferatur. Magnitudo earum ea censetur optima quæ mediocris est, hæc enim præter usum suum calorem bene dispositum & secundum Phisognomos, hominem pium & docilem denotant. ut contra per rotundas indocilem, parvas latronem, amplas & magnas stolidum, longas invidum significare volunt eorum aphorismi.

Tb. 24 Auris interna, quæ veteribus non ignota fuit, ut testantur scripta Hippocratis, Aristotelis & Galeni, & auditus proprium instrumentum est, in ossis temporum parte petrosâ latitat. Hanc tanquam partes constituunt Cavernæ, ductus, membranæ, chorda, ossicula, muscoli, lamina ossea, nervi, venæ & arteriæ, quæ venæ à jugularibus & arteriæ à carotidibus derivantur.

Tb. 25. Cavernæ quatuor, ductus plures in auribus numerantur. Cavernarum prima, cui initium præbet auricula & finem

l. 1. Obs. de aurib.

l. 6. Epid. sect. 5. part.

21.

in com. d. l.

l. 9. sec. l.

Anthrop.

p. 428.

Laurent.

Arantius.

l. de carn.

l. de princ.

sect. 32. pr. 6.

8. de V. P.

c. 6. & d. l.

c. 12.

& finem tympanum statuit, patens est, ut & dormientes audire queamus, flexuosa est ne aer cum impetu irruat, & nervosas partes laedat; obliqua & cute investita est, ut sonationis vehementiam frangat; angusta est, ut species magis colligantur & externis corpusculis aditus intercludatur, tandemq; acclivus est ut sordes facilius egredi & illapsum relabi possit. Viscosum enim aurium excrementum bestiolas capere & educere vult Philosophus.

Tb. 26. Secunda cavitas, tympanum, pelvis & concha nominata, initium sumit à myringe seu tympani membranâ, & insculpta est ossis petrosi principio ea sede, quæ inter mammillaris processus radicem & sinum, qui maxillæ inferioris capitulum suscipit, intercedit. Hinc causa sed non solitaria depromitur, cur oscitantes non congrue audiamus; cur item à sono vehementiore dentes acidi reddantur & offendantur. Ductus quoq; totum os è conchâ quatuor foraminibus perfodit, & intra faucium musculos procedit, donec juxta radicem apophyseos pterygoidis in alteram narium cavitatem desinat, & termino se palato & naribus communem præbeat. Hujus beneficio (1.) muti, si quis in os loquatur aperto audiunt ore; (2.) Per hunc ductum aer externus ut aeris insiti refocillamentum ad aurem internam transit, unde (3.) quando inspirationem cohibemus, acutiùs audimus, & (4.) oscitando strepitum, dum majori copia externus aer aurem irruit & internum aerem movet, percipimus, (5.) hujus ductu famelicis, biliosis & ventriculi imbecillitate laborantibus aures tinniunt; (6.) per hunc ductum aer insitus, quando tympano cedit recedit. (7.) Inde deglutitione strepitus aurium sedatur. Alcmaeon, teste *Aristot. i. de nat. an. ii.* credidit capras per aures spirare: quemadmodum vidi multoties eos, qui Nicotianæ fumo delectantur, hunc tubulo ore attractum per aures respirare. Versus superiora conchæ angustum apparet foramen, quod dilatatur in alveum amplissimum asperum, spongiosum & innumeris cavernulis scattentem, ut ibi copiosus conclusus aer sonorarum specie-

rum

rum reflexionem, vid. *Tb. 10.* cohibere queat. At vix eam
cohiberet, si soni meta hic esset posita. Verum Natura
hujus cavitatis extremo è tympani directo duas fenestel-
las apposuit, quæ speciebus præbent transitum. Harum
altera ovalis membranula & quandoq; secundum ossi-
culorum motum stapedis basi clausa, vestibulum est
tertiæ cavitatis labyrinthi. Altera hac minor patens aeri
primo ingressum ad cochleam, & excrementis transitum
dein paulò post bipartita, aditum aeri ex concha ad la-
byrinthum præbet.

Tb. 27. Tertia cœca, innominata, buccinosa cavitas
Labyrinthus est ossis petrosi insculpta radici. Hæc in
multos flectitur meatus, quos ad tres semicirculos reducit
Casseri; & sex habet antra, septimo verò satis amplo in
cochleam abit, à quâ labyrinthus solo osseo ponticulo &
lamina distinguitur. Per prædictos cuniculos dum spe-
cies sonoræ excurrunt, volunt alii eas vires acquirere &
sonum fieri acutiorem, ferè ac in fistula videmus. Verum
in fistula alia est soni generatio, alia item exterius facti
soni aut sonorarum specierum receptio & transmis-
sio. Hæc sanè obscuriorem, illa autem satis claram effi-
cit sonationem, unde sonatio in istis circulis potius sen-
sim quiescit, elanguescit & commoritur.

Tb. 28. Quarta cavitas cochlearum gyros in anterie-
re ossis petrosi sede affabrè exprimit, omniumq; minima
est, desinitq; secundum *Placentinum* cum labyrintho me-
diante osseâ pertenui laminâ in nervi auditorii meatum.
Riolanus in comm. de ossib. cap. de cavit. auris internæ, inve-
nit intra cochleæ spiras rimulam, per quam biliosum ce-
rebrum excrementum in aures defluit, ita ut cochlea & du-
ctus excrementi videatur, & officina aeris interni, utpote
in quam & spiritus animalis crassior & externus per fe-
nestellam possunt concurrere, & ex hac labyrinthum in-
trare.

Tb. 29. Hæ verò auditioni dicatæ cavitates ne forent
vacuæ, delitescunt in iis medium auditus internum aer
institus, & aurium excrementa.

C

Tb. 30.

*L. 4. de sens.
extern.*

*l. 2. de an. c. 8.
t. 83. 2 part.
an. 10. § 5.
gen. an. 2.*

Th. 30. Aerem in utero materno cavitatibus organi
auditus inplantari & congenerari Plato & Aristoteles
docent. Eum verò esse animatum & corporis partem
præcipuumq; auditus instrumentum Simplicius & Neo-
terici defendunt. Verùm ut aerem ex acra sanguinis
parte in utero posse generari, & ne detur vacuum aurium
cavitatibus inferi, facile mihi persuasum habeo; ita cum
non sit conjunctus cum toto, eum neq; partem corporis
viventem, neq; animatum, neq; auditus instrumentum
esse, intrepide affirmo. Medium duntaxat internum, in-
ternus aer est, qui ab externo aere per species afficitur,
easq; recipit ac defert ad primariam auditus organi par-
tem. Neq; tamen inde internus aer est ejusdem essen-
tiæ, aut idem numero cum externo; neq;ve idem nu-
mero ab ortu manet. Nam cum in corpore mixto sim-
plex elementum subsistere nequeat, & mixtæ sint elemen-
torum qualitates, quæ variam subeunt alterationem; fit
ut pars insiti aeris successivè per calorem dissipetur, dis-
sipatus per aerem externum mediante ore & auribus re-
stauretur, & ita successivè corruptibilis & generabilis
alius numero evadat. Nam ut in conchâ ad naturam
externi aeris magis accedit, in cochleâ verò jam purior
reddatur, ita in labyrintho inclusus ad spiritus animalis
naturam ferè accedit. Temperatus ergò est, tenuis insu-
per & purus, cum per crassum & nebulosum aerem spe-
cies obscurè deferantur, ita nostræ voces tempore hyber-
no quam æstivo graviores sunt. Imobilis quoq; seu in-
motus & quietus soni expers species expectat, hoc enim
tanquam medio interno per fuligines, dum oscitamus,
moto, vide *ib. 21.* nihil aut strepitum audimus. At plura
hîc essent quærenda; brevitate gratia duntaxat indaga-
tur, quomodo à flatu sonus intra aurem produci possit, &
utrum potentia auditiva eum per propriam, an verò alie-
nam speciem percipiat, & tandem unde potentia inte-
rius genitum sonum ac externum judicet. Ad primum
respondeo: quemadmodum in vocis formatione spiri-
tus,

*Arist. l. 11.
probl. 17.*



tus, ita & hic flatus per angusta foramina & ductus, qui circa aures sex numerantur & vasa transmittunt, in ebriis & crisi fertur; hic in majus spatium delatus, internum aerem ferit, & ad os allidit in concha, inde fractus aer sonum efficit, quem per speciem propriam aer internus ad fenestellam labyrinthi & laminam osseam defert, unde potentia auditiva, sueta sentire sonos externos, & internum non aliter sentit. Idem accidit, quando aurem obturamus, calor enim internus semper in aerem agit, & puriorem reddit, unde multiplicatus exitum quaerit, qui cum non pateat allidit & sonitum facit. Eademque ratio est cur tubo, concha aut manu cava auri ad motum sonitum percipiamus. Quod si hanc aeris multiplicationem in dubium vocare velis, inspice pixides aqua repletas & igni expositas. Ita aer ex aure erumpens ad motas pennas expulit, & candelam exstinxit.

Tb. 31. Sordes aurium ex vapore & sudore in auribus putrescente oriri vult Aristoteles. Negat hoc Argenterius, & sordes esse cerebri excrementum ex terrenâ portione alimenti prognatum asserit. Sed verius tradunt alii, sordes aurium esse biliosum excrementum ex concoctione, in arteriarum cerebri plexibus pro spirituum animalium generatione celebratâ, genitum, & dein per meatus aurium transcolatum & in poro acoustico ex mora quasi concretum. Idem hoc excrementum si credimus historicis medicis lapideam induit naturam, si ex mora spiritus lapidificus à calore exaltetur, quod enim igneus brevi facit tempore, id nativus longiori morâ peragit, secundum Galenum. At has sordes cur natura per aures expurget mirum fortean cuidam videbitur, qui nescit commodiori loco eas quam per aures expurgari non posse. Si enim per os cribrosum expurgarentur, aerem attractum tenuiore sui parte inficerent; si per palatum, saporem laederent, si per oculos, eos suâ acrimoniâ vellicarent, at in auribus utpote locis osseis an fractuosis frigidis talem noxam exercere nequeunt, neque tam acres sunt ut inferre possint, sed sunt duntaxat amaræ, quæ in morituris

Fabric. Hil.

dan. Cent 3.

Obs. 2. 3.

l. 3. de part.

an. Sect. 32.

probl. 4.

in com. 2. de

art.

Job. Kentm.

de lap:

6. Epid. com.

3.

6 Epid. sect. 5. quando cerebrum colliquescit dulces evadunt Hippocrate &
Galen. in Galeno testibus.

10mm. 3.

in fin. l. 6. m.

5 l. 3. f. 1.

Obs. 7. l. 4.

Part. secunda.
de.

Tb. 32. Sed ad auris internæ partes redeo & quidem ad membranas quæ instar ararearum telarum tenues & pellucidæ complures numerantur. Hæ enim priores duas cavernas, nonnullosq; in labyrintho meatus ejusque ovalem fenestellam investiunt, & omnes ortum à pericranio ducunt. Una præ ceteris fama & usu nobilis est, quæ tympani membrana, tympanum Myriæ, Myringa & mediastinum nominatur. Hæc ex semine procreata à pericranio deducitur. Huic enim in infantibus contiguam vidit & demonstrat Casserius. Adnata est osseo circulo, quo meatum auditorium à conchâ separat. Rotunda insuper, transonora cæteris crassior, nullius asperitatis particeps, plana durissima ut & acerrima medicamento queat tolerare, teste Galeno. Non itaque ut alij volunt à piâ aut durâ matre vel ab expanso quintæ conjugationis nervo prognascitur. Orta enim suis attestari solent principis sec. Galen. in art. med: dictæ vero partes humidæ sunt & molles, ergo ad productionem sicissimæ membranæ, & ad sonum ineptæ. Hæc vero tympani membrana externas injurias ab auditus organo arcet, aerem internum in suo ergatulo cohibet, & ratione summæ suæ siccitatis & tenuitatis transonora se noras species transmittit. Moverur quoque membrana duobus motibus contrariis, introrsum quidem incurfione externi aëris, extrorsum interni impetitione, quemadmodum in oscitatione, narum emunditione, spiritus cohibitione, fæcum excretionem & vociferatione, unde & huic membranæ fluctuanti tutela loco apposita sunt chorda, tria ossicula & muscoli. Necessarius autem hic erat motus, cum variæ occurrant sonorum species, ita ut eorum conum in forti sono & ejus receptione prolongaret summa suâ introcessione, in debili vero parvo suo motu abbreviaret, fere ac videmus in oculo ad res propinquas videndas retiformem tunicam ob abbreviatum conum specierum visibilibum accedere, ad remotas vero discedere. Hic ejus usus solus est, cum ruptum auditionis difficultatem non inferat per se. Vide Horst.

Tb. 33. Chorda dorso tympani firmitus adhaerescit, &
non

non mediam sed tertiam partem subtendit, sibiq; & tympano
ossiculum malleum affirmat. De hac disputant alij utrum
nervus an arteria sit. Verum corpus nervosum esse Eustachius
& *autoψia* probat. Ortum autem ducit à ramo quarti pa-
ris nervorum hujus enim exilis propago concham ingreditur
tympano & malleo inseritur, inde os petrosum in posteriore
sede meatus auditorii transit, & tandem cum duriore & tenui-
ore auditorio ramo coit & jungitur. Hæc ligat tympanum,
spiritum animale defert, & mediante eâ cum malleo jun-
gitur.

Tb. 34. Ossicula quoq; tria munimento loco tympani
membranæ sunt concessa, quæ non ab usu sed figura, malleus,
incus & stapes appellantur. Æqualia sunt tam in recens na-
tis quam adultis, at non æquè dura, unde ob humiditatem in-
fantes obtusius audiunt, cava sunt & mobilia, uno enim at-
tacto reliqua duo moventur, non tamen inde sunt unum quid
continuum. Nuda sunt & perioestio carent ne insonora fie-
rent quemadmodum campana panno tecta. Et quidem
malleolus capitulum obtinet crassiusculum oblongum tenui
angustaq; inhærens cervici, quod sinum obtinet, quod per
gynglymon mediante cartilagine incudi inarticulatur. Ex
cervice prodeunt processus duo, quorum inferiori tympani
membrana toto ductu incumbit eiq; superiorem versus par-
tem vel potius cervici tendo muscoli externi inseritur: alter su-
perior minor reflexus musculum interiorem & chordam ex-
cipit. At incus seu dens molaris capite malleoli tuberculum
excipit, crurum vero altero brevior tympanum versus squam-
moso temporum ossi incumbit, altero longiore tenuiore sta-
pedis apici per arctam copulationem alligatur & innititur.
Stapes autem ossiculum in medio ferè conchæ situm trian-
gulum æmulatur quod basi & duobus cruribus constat. Hoc
in summa crurum parte capitulum habet minutissimum, cui
longius incudis crus insistit, basis vero latiuscula fenestellæ
ovali, & membranæ illam claudenti apponitur, ita ut pro va-
rio tympani motu eam magis minusq; occludat; suspensa
enim hæc hærent ossicula.

Tb. Præ-

C 3

Tb. 35. Prædictorum ossiculorum usum disputant anatomici. Columbus ossicula hæc facta esse asserit, ut ex mutuâ collisione sonum edant, ejusq; modulationi inserviant. Hunc sequuntur magni nominis Anatomici & Medici etiam nostrâ ætate. Verum hic ossiculorum motus imbecillior est, quam quod aerem possit frangere & sonum edere. Et posito, quod possit: Hæc sane collisio, ut docte animadvertit Varolius, numero alium sonum & strepitum, qui externum impediret & confunderet, efficeret: quin & non nisi generalem, specialem vero sonum aut vocem articulatam minimè ederet. Unde illis usus à Columbo præter rationem adscriptus est. Volckerus hæc ossicula pro medio interno habet, eaq; sonum per tympani agitationem communicatum ad nervum auditorium deferre asserit, non aliter ac si altero trabis extremo leviter percusso sonum alteri extremo aure admotâ percipis. Verum cum tympanum (1) ad alligatum sibi malleum ita allidere nequeat, & (2) si continuò allideret, sibi noxam inferret, (3) corpore quoq; densa ad extensionem ejus soni, quem suo ictu ipsa non concitavere minime apta sint, & (4) ossiculorum motus soni receptionem impediat, hanc vicem dicta ossicula in aaribus subire nequeunt. Tacco alia, quæ & ratio & Anatomie refutat. Natura itaq; hæc ossicula construxit ad firmandum tympanum, ne quod à bombardarum fragore rumpi videmus, etiam à leviori aeris motu læderetur. Quod si statuere velis naturam in effectione partium, non sibi proposuisse eas contra externas injurias munire; defendam hæc ossicula primario esse facta propter tympani motum. Hujusenim exterioris motus metam sistit illa articulatio mallei & incudis, interiori vero motum basis stapedis coercet, accedit quod in malleum musculorum tendines desinant. Neque enim malleus sufficiebat solus ob cavitatis inæqualitatem; quibus verò animalibus cavitas illa recta, est ut anseri, iis unicum natura concessit ossiculum. Cur vero stapes in medio foramen obtineat, cur item in vehementiore sono ubi tympanum introcedit suâ basi ovalem fenestellam labyrinthi claudat, non opus reor multis tradere ii, qui causam

NON

non ignorat, cur pupilla medio existente lucido & objecto forti claudatur & coarctetur, in medio vero tenebricoso & objecto existente minus colorato dilatetur.

Tb. 36. Prædicti motus gratiâ malleo inseruntur duo exiles musculi; Cum enim variæ sint aeris ad membranam incursum varia quoq; coh. bit. o & sistentia motus esse debuit. At ad hoc non ligamenta sed musculi erant necessarii, cum illa eodem ferè tenore semper agant pro soni verò differentiâ & contractione & laxatione opus erat. Musculorum enim alter externus superiorem meatus auditorij partem occupat, & à cute & membranâ hunc meatum investiente exortus postea carneus fertur & exterius tendine nerveo tympani convexum penetrat malleoliq; cervici affigitur, & ita tympani introcessionem sistit & moderatur. Alter internus in conchâ latitans in duos tendines graciles abit, quorum alter in elatiorem malleoli apophysin alter in cervicem malleoli inseritur, ut concitato aere interno tympani excelsionem desinat.

Tb. 37. Restat decantatus nervus auditorius, quem primariam organi auditus partem multi volunt, eumq; variè sibi fingunt. Verùm si hi docti viri eam intelligunt, ut intelligunt partem, quæ sonoram speciem sentit, seu quæ patitur eam sibi imprimi, quemadmodum retiformis tunica speciem visibilem in oculo recipit, nego prædictum nervum primariam auris esse partem. Hic enim ratione situs & quod mollis humidus inæqualis & insonorus sit hoc officium peragere nequit. Nam cum quintum par nervorum cerebelli dirimatur in majorem & minorem furculum: Major foramen auditorium seu cochleæ extremum subit ibidemq; in osseam laminam, quæ semitam nervi hujus à cavitatibus cochleâ & labyrintho dirimit, terminatur. Hujus æq; ac optici nervi officium duplex statuo, spiritum nimirum animale per suam medullarem substantiam ad laminam usq; osseam vehere, eiq; spiritui sonorâ specie impregnato, per suum porum & cavitatem mediam ad sensus communis usq; sedem largiri transitum. Spiritum verò animale impregnari

pregnari specie sonorâ intentionali æq; ac aer externus
& insitus vel illud ostendit, quod spiritus animalis non
solum ad aeream naturam accedat, sed etiam videamus
spiritum à sonis iis exagitari motibus, quibus & gaudens
& mœrens. Sunt qui continere se minimè possunt, quin
universum corpus commoveant & agitent eâ ratione &
motu, quo sonus factus est. Quin cum in summam læti-
tiam vel in furorem nos agi & animum sumere, vel alio-
rum furentes placare animos, ipsasq; lacrymas excutere
volumus, sonis utimur. Prout enim sonus movetur vel
celer, vel tardus, vel asper, vel inæqualis, ita spiritus tor-
pens aut quietus movetur, vel exagitatus sedatur. Quid
multis? Minor quinti paris nervorum furculus aquæ du-
ctum Fallopii transit & in plures descenditur furculos,
quorum primus atq; omnibus inferior per maxillam di-
ductus inseritur partim in masseterem, partim in pri-
mum faciem moventem, secundus in partes glandulosas
circa auriculam, tertius in auriculam, reliqui laryngi,
linguæ, naribus, buccæ, & radici dentium inseruntur.
Hinc sono aspero citra contactum dentes offen-
duntur. Qui dolore dentium & peripneumoniâ labo-
rant, per parotides sanantur. Qui durius aures scalpunt
& auriculas terunt tussiunt, magnas hæmorrhagias sistit
arcta & vehemens aurium oclusio. Surdastris vox
rauca & rancida redditur; qui ab ortu surdi simul & mu-
ti sunt. Cujus rei licet alii aliam ex Alexandro Aphro-
disæo adferant causam, quod loquela & vocis articula-
tio auditu addiscatur; cum verò surdi eam addiscere,
nequeant, inde surdos simul & evadere mutos. Atta-
men ut hæc doctè excogitata Philosophis relinquimus;
ita & illi, si surdos natos difficulter gemitus & suspiria
ducere, quin & eos sonum per nares reddere, linguamq;
commodè movere non posse videbunt, certè huic nostræ
anatomicæ rationi non contradicent.

*Hipp. 4. Epid.
agr. 26.
Gal. 3. sec.
loc.
probl. 132.*

Tb. 38. Lamina autem illa ossea, cujus modo in præ-
cedentibus thesibus mentionem fecimus, proprium &
præci-

præcipuum est auditus instrumentum. In uno quovis enim organo principalis quæpiam est particula animata, cui actio tribuitur, quæ recipit & sensilis speciem figit. At in auditu instrumento non tympanum, non chorda, non ossicula tria, non aer infusus, ut transsonora, ultimo recipiunt & figunt speciem sonoram, aliaq; pars cui potentia per tam insignem nervi ramum communicetur, non datur in tota aure, & quæ in dictis cavitatibus ultima, solida, glabra, renitens sit, quam dicta lamina. Ita potentia species visibiles non in corneâ, non in humoribus crySTALLINO & vitreo ut partibus diaphanis, sed in retiformi tunicâ opacâ in ultimâ oculi parte cognoscit, quemadmodum hoc incredulo in camerâ Neapolitani ad oculum potest demonstrari.

Th. 39. Atqui prædictæ partes constituunt aurem auditus organum. Has verò ut cum oculi partibus comparent, torquent se miserè multi. Si quid dicere liceat, ita se rem habere posse confido. Cum species visibiles in cavo oculi antro suscipiantur, & aliquomodo obumbrantur, ita ut quibus oculi sunt profundiores, & qui oculis cavam manum admovent lucernâ aut Sole lucente melius videant; magisq; sint perspicaces, qui superciliis & ciliis nigris quam qui albis sunt dotati, & hæc si atramento illinas, Titius melius videat: Ita in auricula sonus recipitur & in angusto obliquo meatu auditorio magis sedatur, & non nihil languescit. Dèin cornea ut sua convexitate speciem visibilem ad punctum cogit: ita tympanum, audibilem suâ concavitate colligit. Cornea diaphana speciem visibilem: tympanum transsonorum audibilem transmittit. Spiritus visivus internus, si quem credis, post corneam latitat, & aer internus post tympanum. Pupilla oculi pro ratione lucidi medii & objecti constringitur, & dilatatur; fenestella ovalis labyrinthi & clauditur stapede & aperitur pro soni variâ ratione. In oculo tres sunt humores, quorum alius aliis tenuior non dicam hîc esse ternarium aeris numerum, sed tres

D

sunt

*Montald. in
Optic.*

sunt semicirculi labyrinthi, in quibus, ut in oculi humoribus species à perpendiculari refringuntur, ita à circularibus intersecantur & franguntur audibiles. Tandemq; ut species visibiles in retiformi tunica, opaca: ita audibiles in lamina ossea minus sonora recipiuntur: & ut illæ nervo optico, ita hæ traduntur nervo auditorio, & ad communem sensum traducuntur.

*Dn. Doct.
Jac. Martin.
Metaph. l. 1.
Exc. 8. t. 9.*

Th. 40. Sed redeo ad aures, quas binas homini natura concessit, idq; ob sensus perfectionem & necessitatem. Cum verò utraq; auris speciem hauriat sonoram, cur duplicem non hauriamus sonum, facit simplex una potentia, eaq; auditiva, quæ utriusq; organi auditus *scilicet* & forma est. Hæc enim semper quamdiù anima est in corpore & ejus parte tota, præstò est, unde posito objecto medio & organo ritè disposito objectum semper etiam dormientes sentimus. Verùm cum sensu externo non cognoscamus quod sentiamus, ille enim præter suum & suprà suum objectum non sentit: sensatio verò non sit sensus externi, sed interni objectum, & inde non eodem tempore nos sentire cognoscamus, sed paulò post nos sensisse dijudicemus, cæciq; se non videre sentiant: Objectum verò & actus unum idemq; esse nequeat: Utiq; non in aure aut auditu, sed ab alio interno sensu auditio absolvetur. At non hoc intellectus aut rationis opus est, cum & animalia ratione destituta dum aures erigunt, se non sentire cognoscant. Neq; phantasiæ munus esse poterit, siquidem hæc post actum sentiendi agit. Memoria verò multo minus hoc peraget. Ergò hoc fit in sensu primo seu omnibus externis sensibus communi. Hoc enim tanquam omnium formarum æquissimo iudice cognoscimus nos audire. Hic perceptam speciem sonoram phantasiæ, & hæc intellectui offert. Unde elucescit auditionis *causa finalis*.

Th. 41. Ut verò quæ in superioribus thesibus scripta sunt, nostræ praxi & fini medico mēlius accommodare possimus; paucis verum *auditionis modum* repetimus. Colli-

Collisa corpora intermedium aerem cogunt, coactum percutiunt, percussum frangunt, sic spiritus è pulmone vehementius expulsus ferit aerem in larynge contentum, constringitq; & ad palatum &c. frangit. Hic sonus explosione quâdam in gyrum factâ diffunditur, & dum aer aerem impellit per sui speciem pro ratione suæ sphaeræ activitatis ad auriculam appellit. Auricula speciem colligit, & in continuato aere per meatum auditorium ad tympanum speciei aditum largitur. Appulsâ ad transonorum tympanum soni specie, pro ratione intensiois conï & aeris motu tympanum in concham magis vel minus cum ossiculis & chordâ beneficio musculorum recedit, & aeri tanquam medio interno speciem sonoram communicat. Hic aer secundum suos gradus & pro variâ dispositione cavitatum speciem sonoram aptam reddit, ut spiritui animali possit communicari. Hanc enim per fenestellam, labyrinthum ad laminam usq; innominatam defert, ubi appulsa species consequutione in spiritum animale transit, perq; foramen nervi ad sedem usq; sensus communis, & sensuum internorum vehitur, ut eorum beneficio per suam potentiam anima sonum cognoscat & auditionem absolvat.

Tb. 42. Quod si hæc omnia ritè sint disposita, auditio rectè perficitur; sin minus eadem læditur. Cum verò Medicus non objecti & medii externi, sed organi vitia curet: nostrum erit auris vitia secundum auditionis & medicum modum perlustrare; cognitis enim morbis ut symptomatis auditionis læsæ causis, & hujus innotescet legitima curatio. Erunt autem morbi aurium vel partibus similaribus & organicis proprii, vel utrisq; communes.

Tb. 43. *Morbi partium similarium*, sunt vel qualitatum occultarum vel manifestarum. *Occulta qualitatis* censeretur, si quæ esset, pestis aurium, quam Paracelsus auribus cum arsenico inesse statuit: unde spiritus arsenicales, qui imperio martis & ejus stellis scorpioni & can-

cro subjecti sunt ad parotides elevantur, secundum Severin. Dan. in Id. *Manifestarum* qualitatum morbi sunt aurium intemperies, eaq; vel simplices vel compositae, & haec quidem vel sine vel cum materia.

Forest. Obs. 2.
l. 12.

Forest. Obs. 3.
l. 12.

Th. 44. Intemperies aurium simplex est ut plurimum frigida, raro calida, rarius humida, rarissime sicca. Frigida quidem oritur, si aures balneo, aeri, ventoq; frigidis diu fuerint expositae. Laeduntur enim nervi & membranae frigore. Cum vero calidis recreentur, & aer externus, qui aestate nos ambit, vix calidior auris partibus esse possit; haut noxam auribus per se simplex intemperies calida inferet. Per accidens tamen ut causa antecedens, ut si quod medicamentum calidum intrusum auribus, attracto & concitato humorum affluxu nocere potest. Humida vero per se quidem auditum afficit, sed ut plurimum quatenus frigidam intemperie & cum materia composita est. Ita in submersis licet madidum fiat tympanum, magis tamen nocet aquae frigiditas, ita ut frigida & humida tanquam *composita intemperies* cumuletur.

Th. 45. Composita aurium intemperies cum materia sunt frigida & sicca cum flatu, calida & sicca cum flatu, frigida & humida cum flatu, frigida & humida cum pituita, calida & humida cum bile. Haec quidem vel a cerebro ut vasorum cerebri excrementum, vel a toto ex vasis, propter agitationem ebullitionem & putrefactionem humorum in febribus & crisi ad aurem defluit. Ita saepe tenuis ille & acris transmissus sanguis biliosus per venularum & arteriolarum nauisam extra vasa destinata in membranas effusus parit inflammationem. Frigida vero & humida intemperies cum pituita, accidit ut plurimum a vicino affecto cerebro, quod pituitam eo transmittit: ex qua in auris cavitatibus delitescente, pars si tenuior in flatu dissolvatur; intemperies frigida & humida cum flatu ortum potest trahere; quemadmodum frigida & sicca cum flatu, si spiritus flatulentus a cerebro, & partibus spiritalibus in asthmaticis & phtificis; ex hypochondriis

driis in hypochondriacis, ab utero in hystericis, à stomacho in
crapulâ repletis ad aurem transmittatur. Calida vero & sic
ca cum spiritu flatulento in febribus & deliriis quandoque oc-
currit.

*Tb. 46. Aurium morbi organici, morbi compositi onis
dicti, occurrunt circa aures in vitio numero, magnitudine
& conformatione.*

*Tb. 47. In numero deficit quandoq; pars auriculæ, quan-
doque altera auricula, quandoq; utraq;e. Pars auriculæ si
denciat commode sonum non recipit; si tragus sit abscissus
aerem receptum auricula & meatus non retinet; si tota sit
abscissa & quidem altera, facultas, cum non utraq;e eandem
soni speciem ad osseam laminam sec. th. 40. deferat, pertur-
batur: fit enim ut aure abscissâ Titius articulatam sonum non
apprehendat, sed murmur fluentis instar aquæ percipiat, testi-
bus Laurentio & Arantio. vide thesin 23. Idem accidit si
utraq;e deficiat auricula idq; vel ab ortu & primo generatio-
nis vitio referente Lycosth. Chron. de prodig. & ostent. &
Schenck. l. 1. O. 1. de Auribus: vel casu ut si fuerint abscissæ,
vel à frigore commoriantur & decidant secundum Spigelium
& Casserium.*

*Tb. 48. In viatâ magnitudine auriculæ peccant, & qui-
dem auctâ in hominibus à Plinio descriptis, & in infante Ca-
nossensi Lombardo, plus enim aeris capiunt quàm est necessa-
rium: quemadmodum illi minus, qui in diminuta peccant
magnitudine.*

*Tb. 49. Compositionis morbos, etiam aures incurrunt &
quidem vitiatæ figuræ, viarum & superficialium.*

*Tb. 50. In vitiatâ figura peccant auriculæ & meatus au-
ditorius: illæ quidem, quando brutorum auriculas æmulan-
tur, ut observat Columbus. Ita leporinis auribus natus est in-
fans Cracovii 12. Cal. Nov. 1494. & si credis Ovidio, auricu-
las asini Midas habet. Meatus auditorius hic accusatur,
quando rectâ non flexuosus non obliquus non acclivis, sed lon-
giore via ad tympanum accedit, ita enim Titius perpetuum
sentit susurrum. Causam vero hujus quare th. 25. & th. 30.*

D 3

Tb. 51.

*Fabr. Hild.
Cent. 4. Obs.
12. Cent. 1.
Obs. 27.*

*Forest. l. 3.
Obs. 39.*

*l. 4. c. 13.
Schenck. d. 1.*

*l. 15.
Schenck. d. 1.
l. 11. metam.*

l. 6. de tum.
prat. nat.
6. 28.

Th. 51. Viarum morbum patitur auris in excessu & defectu
In excessu quidem per venarum διαίρεσιν & ἀνατόμωσιν. Per
hanc quando oscula venarum capillarum naueant & dila-
tantur, sanguinemq; in membranas vel in ipsos effundunt
meatus. Per illam quando ab acri & critico humore eroden-
te venæ aperiuntur, sanguinemq; effundunt & ita causæ ante-
cedentes fiunt obstructionis. Arteriolarum verò ex crisi
orta διαπύδνσις facit ut earum ἀνεύρισμα continuum faciat
strepitum & sibilum in auribus, quemadmodum etiam in aliis
corporis partibus accidere docet Paræus. *In defectu* auris
patitur angustiam viarum idq; obstructione, constipatione &
compressione. Obstruuntur enim aurium cavitates vel ab
interius generatis & transmissis vel exterius illapsis & intrusis.
Quæ exterius illabuntur sunt vel animata, vel inanimata. Hæc
sunt calculi ceraforum, lapilli, pisa, fabæ, sphaerula corallina
festuca, semen filiqui, allium, &c. secundum Observationes
Paul. Æginet. l. 3. c. 23. l. 6. c. 24. Aetium. l. 6. c. 88. Bened.
Favent. c. de aur. dolore. Donat. Histor. med. mirab. l. 2. c. 12.
Forest. l. 12. Obs. 3. Schenck l. 1. Obs. de auribus. Animata
aures intrasse concham scilicet exiguam, tineam, muscam,
pediculum, pulicem, &c. Observant Forest. in schol. Obs. 3.
l. 12. Trimanel. l. 4. cap. 6. Interius quoque ad hunc mea-
tum & reliquas cavitates transmittuntur humores & excre-
menta, quemadmodum in febricitante aqua limpida secun-
dum Marcell Donat. Histor. med. mirab. l. 2. c. 12. effluxit, ita
à sanie cerebri excrementitiâ surdastram refert filiam Bralsa-
vola in comm. ad aphor. 24. l. 3. Hipp: Hoc vitium etiam
integris familiis familiare esse docet Sennertus cap. de ulc au-
rium. Excrementa vero retenta vel per moram incrassari &
lapides fieri th. 31. meatumque obstruere vel vermes minores
& majores digiti crassitudinem æmulantes producere tradunt
Gal. 7. de med. facult. & l. 5. m. m. c. 10. Aetius l. 6. c. c. 86.
Dioscorides de calaminthâ, Valesius de Tarant. l. 4. c. 30.
Montan. Consil. 39. Solenand. Consil. 15. Mercurial. de
morb. pueror. l. 2. c. 12. &c. Concrefcit & quandoque
propter venarum ἀνατόμωσιν & διαίρεσιν grumus sanguinis
secundum

secundum Aetium l. 6. c. 86. Omnium autem maximè ob angustiam obstruitur fenestella cochleæ. Constipatur quoque meatus auditorius à tumore, parotide, carnis excresecntiâ & ex ulcere male curato prognato callo sec. Aetium l. 6. c. 85. Ita & à fracto osse petroso durissimo meatus comprimi potest.

Th. 52. *Superficierum* morbos patiuntur meatus dum in crisi ab affluentibus humoribus vel à morbo solutæ unitatis asperi redduntur, unde species non ita sonoræ manent. vid. th. 8. Inprimis vero hunc morbum patitur tympani membrana, si vel ab humoribus in venis, ut cornea in ophtalmiâ, inæqualis existat, intempestivus enim auriscalpii ulu. (sec. Oeth. in Obs. propr.) facit, ut humores attrahantur & inflammat. excitetur; vel *Prei* excrementitii humores ipsi tympano adnascantur & minus sonoram, minus æqualem & levem reddant; hinc fit ut membranulam alteram sæpe referre, & ipsum tympanum duplicatum videatur, quemadmodum bis observat Aquapendens & ante eum *Æginetta* l. 2. c. 23.

Th. 53. Tandem *morbum solutæ unitatis* tympanum incurrit collisionem scilicet & rupturam: hanc quidem si à fortiter intruso auriscalpio, à sonitu vehementiore, & forti aeris externi & interni incurfione rumpatur vid. th. 32. Vel ab inflammatione in ulcus versa tympanum erodatur. Illam vero si inter oscitandum, ubi tympanum auriscalpio cedere nequit, affricetur & mundetur. Rupto enim tympano tanquam repagulo externi aeris, internus crassior redditur, continuo movetur, nervosæ partes læduntur, & ita gravem inducit auditum. Ita cum ob dictam aëris injuriam per *ἀνωσπυα* musculi à tympano dissolvuntur & ossa loco moventur, auditionis oboritur vitium, ut alij non nisi submissam, alij non nisi elatum exaudire possint sonum, cujus ratio ex thesi 32. desumitur. Vix autem aliud incurret vitium tympanum: tenuius enim si præter naturam reddatur & reddi possit, nihil nocet, quemadmodum & sensus *ἀνρίβεια* malè accusatur & inter morbos refertur. Vulnere tandem inflicta, & hæc, illapsamque erodentem materiam insequentia ulcera auris solvant continuitatem & auditum lædunt.

Th. 54.

Hildan.
Cent. 3. Obs.
5. 6. 7. Merc.
l. c. 40. Plin.
l. 6. c. 29.

Th. 54. Nervus auditorius quando angustiam patitur, spiritui animali transitum ad osseam laminam denegat. Comprimitur vero, Obstruitur, & contorquetur æq; ac nervus opticus. Ab humoribus enim subito in cerebro motis, ex forti sonitu & sternutatione ut referunt Schenck & Forest., circa exortum, & ejus foramen obstrui potest, toto autem suo ductu à dicto humore & apostemate facilius comprimitur. In Epilepticis etiam quandoq; contorquetur. Ita frigidorum & narcoticorum usus ejus potentiam essentialem destruit, quemadmodum ex horum usu & opio auribus applicato quempiam & loquelæ & auditionis jacturam fecisse referunt historiæ medicæ; æq; ac testantur in febribus epidemiis, peste, morbo gallico auditum laedi.

Th. 55. Sæpè tamen accidit ut ex proprio vitio *spiritus animales* in nervum & auditus organum non influant, idque dum cerebri vitio non generantur, & generati ob ejus angustiam sistuntur, quemadmodum obstructo aut compresso turculare Herophili, plexu retiformi & principio nervorum fieri videmus. Ita quandoq; ex consternatione animi dissipantur, ex ictu &c. turbantur, à vapore narcotico autem torpidi & aquei redduntur quemadmodum in Apoplexia Epilepsia, Syncope, strangulatu uteri hysteris & similibus affectibus accidit. Ex prædictis itaq; morbis tanquam causis partim conjunctis & proximis, partim antecedentibus oritur læsa auditio.

Th. 56. Est autem *læsa auditio* symptoma, in quo actio potentiaë auditivæ vel aboletur, vel inminuitur vel depravatur, ab auris & cerebri vitiis ortum.

Th. 57. *Aboletur* auditio, quando nervus & instrumentum ab ortu non rite est constructum, & tunc nascitur Titius surdus. Vel post ortum Sempronius surditatem acquirit, ita ut vel se ipsum loquentem audire, & ad morsâ instrumenti musici parte sonum percipere possit vel nullum sonum sentiat, aut si quem sentit dijudicare non possit & vocatur surditas *κώφωσις*.

Th. 58. In-

Th. 58. Inminuitur auditio, quando Titius sonum externum ex justâ distantia languidè & difficulter percipit, idq; vel continuò, vel per intervalla, hocq; secundum lunæ phases, aut ex levi victus errore. Vocaturq; hoc vitium gravis auditus *δυσήκεια*.

Th. 59. Depravatur auditio, cum Titius sonum non existente externo objecto in aure percipit, & vocatur ob-auditio *περφόρησις*. Hujus quinque per onomatopœiam constituuntur species, tinnitus, sibilus, pulsatio, fluctuatio, & quæ ad has prædictas referri nequit strepitus: sunt autem hæ species vel intermittentes vel continuæ.

Th. 60. Cause harum Differ. læsæ auditionis aliæ sunt proximæ & conjunctæ, aliæ antecedentes, de his circa morbos egimus.

Th. 61. Proxima surditatis cause, & quidem ejus quæ per os Titius audit, sunt omnimoda meatus auditorii & cæterarum cavitationum obstructio, constipatio, compressio, tympani duplicatura & nimia crassities. Quod si admorsâ instrumenti musici parte ne quidquam audit, nervus & spiritus animalis sec. thes. 54. & 55. vitium patiuntur.

Th. 62. Inminuta auditionis continuæ causæ sunt intemperies cum vel sine materia, inflammatio, auriculæ jactura, levis quædam meatuum obstructio, & constipatio, & compressio, tympanum asperum, ruptum, musculorum læsio & paralytis, ossicula loco mota, vulnera, ulcera, nervi levis contorsio & compressio: *intermittentis* verò sunt intemperies cum flatu, & inde aer internus crassior redditus, aut ex sono vehementi dissipatus.

Th. 63. Ob auditionis continua causæ sunt, & quidem *strepitus* & fluctuationis; auriculæ jactura, externi meatus obstructio, tympani ruptura & collisio, meatus auditorii rectitudo & nimia longitudo. *Pulsationis* verò causa est; arteriarum continuus pulsus; & *sibilum* efficit arteriola *ἀνεύρησα*; *Tinnitus* auditur, si eadem arteriola calidiore spiritu repleatur & *Ἀγαπήθων* est passa, vel in deliriis

E

phan-

phantasia læsa. *Obauditionis* verò *intermittentis causa proxima* est aeris interni p.n. motus, ortus à spiritu & flatu ad aurem transmissio, vide th. 30. Prout autem plus aut minus aeris ferit, sec. th. 16. vel hæc aut illa obauditionis oritur species. Ita *tinnitus* ex cursu flatus interrupto, *Pulsatio*, ex crassiore flatu plenius erumpente, *strepitus* ex impulsu valido, *sibilus* ex flatu tenui subtiliter elabente, *fluctuatio* ex vaporum jactatione oriuntur.

Th. 64. Atqui hæc sunt læsæ auditionis causæ, à quibus ad curationem progredieremur, nisi prius necessarium foret per signa, ut causarum effecta, ipsam læsæ auditionis causam indagare & ab alia distinguere. Hac enim cognita & curationis eventum prædicere & curationem rectè instituire poterimus. Unde *signa alia sunt Diagnostica, alia Prognostica.*

Th. 65. *Diagnostica signa* alia sunt *causarum*, alia *ipsius affectus*: alia *cognatorum & similium affectuum*. Hæc quod attinet, non opus est multis tradere, *quomodo ab aliis affectibus læsa auditio distinguatur*: Ipse quoque æger referet, quid aut quantum audire possit: Si verò loquela simul sit amissa, & medicus facillè intelliget, dum eum alloquitur, utrum facultas auditiva læsa sit nec ne.??

Th. 66. Quantum ad *signa causarum*, si nulla gravitas, nulla tensio, nullus tumor in auribus percipitur, & auditio imminuta est, adest intemperies simplex; frigida quidem, si æger in aere & vento frigido aut in nive versatus est, dolorque adest citra ardorem, qui calidis lenitur: Si rubor cum dolore intensiore & caliditas adsit, intemperies calida est: si aqua meatum auditorium intraverit intemperies adest humidæ.

Th. 67. Quod si tale nihil præcesserit, quod nudam intemperiem inducere potuerit, & caput sit gravius; adest cum intemperie quædam materia, flatus quidem, si dolor vehemens sine magno pondere & gravitate, intermittens, strepitusque & tinnitus manifesti adsint. Quod si prædictis comiteretur tensio, tumor & auditus magis impediatur,

prælatu aut onis pto, s ex te, qui- effa- au- Hac ara- sunt: osus: uod affe- uid it a- tur, tas, udi- qui- ver- ni- in- tra- am- dest- lor- ens, ræ- lia- ur,

tur, humor erit crassus & frigidus, si signa frigidae intemperiei simul adsint. Si verò signa caliditatis præstò sint humor erit biliosus. Utrum verò ex alia parte prodeat, & in aurem transmittatur, cognoscitur, si signa male affectæ alterius alicujus partis concurrant, si verò nihil horum depræhenditur in aure est generata vel cumulata materia. Auris verò inflammatio cognoscitur ex dolore continuo, pulsatili vehementissimo cum caliditate & rubore ad malas usq; sese extendente, cum febriculâ & delirio, motibus convulsivis, syncope, extremorum frigiditate: & prout inflammatio ad interiora magis tendit; ea pulsatio magis percipitur, ob compressas arterias majores; febris quoq; intensior est, & dolor vehementior, ob partes membranofas & cerebri vicinitatem.

Th. 68. Auriculæ vitia, & utrum ejus pars, an verò altera deficiat, oculis patet, & antecedentes causas æger referet. Ita si meatus auditorius in figura peccet, si adsit angustia, si adsit tumor, carnis excrescentia, ossis fractura, si quid in aures illapsum; ab ægro percontari, oculis cernere, & stilo explorare licet. Animalcula depræhendes ex motu, titillatione, pruritu, dolore mordicante & inquietudine. Excrementa incrassata conjicies ex præcessis & adhuc durantibus læsi cerebri & intemperiarum communibus signis. Venarum si adsit ἀνασφουδισίς ictus, contusio, febris, quin & dolores præcesserunt, & sanguis ex auribus effluxit. Quod si externus duntaxat meatus occlusus sit, strepitum æger percipit, qui deglutitione aliquomodo sedatur, & per os audit. Si fenestellæ & cochleæ labyrinthusq; obstructione laborent, nihil per os patulum, admorso verò instrumento musico audit.

Th. 69. Quod si tympanum ruptum, causa rupturæ præcessit, auriscalpium profundius quam in sanam aurem intruditur; si verò excrementitii humores densius illud reddiderint, horum effluxus & cerebri intemperies cum materiâ præcesserunt. Quod si nihil in aurem in-

ciderit; & nihil sordium p. n. effluat; neque harum signa
adsint; & stylo aditus ad tympanum, ut sensus ægrotum
docebit, pateat, ægerq; per os audiat & paulatim inmi-
nuatur auditio; incrascescere tympanum indicio est.
Quod si ægrotus saltem ea, quæ submissâ voce pro-
feruntur, vel saltem clamores non nisi ex justâ distan-
tiâ percipiat, musculos esse læsos, & ossicula loco mota
statuitur.

Th. 70. Si sanies egrediatur, & causa ulceris præcesse-
rit, nec æger diurnum capitis dolorem aut ictum in ca-
pite, sed dolorem in auribus senserit; ulcus adest aurium.
Si verò caput doluerit, cerebrum humidum aut inflam-
matum aut percussum fuerit, eam a cerebro profluere
certum est.

Th. 71. Hæc quoque aut ἀνασφύωνος, contusio, vul-
nus, si ἀνεύρησις arteriæ producat; æger sonitum con-
tinuum & quidem aure tecta validiorem percipit; animo
quandoq; linqvit, pulsus obtinet celeriores; sangui-
nemq; quandoq; ex auribus effundit, tumoremq; pa-
titur.

Th. 72. Si nervus vim passus sit; obstruatur aut con-
torqueatur, præcesserunt ictus, sonitus, concussio, ptar-
micorum & opiatorum usus apoplexia &c. & æger neq;
per os, neq; ad morsâ instrumenti musici parte audit lo-
quela unâ læditur, vox rancida & rauca redditur & per
nares surdus sonum edit.

Th. 73. Si vitio spirituum animalium & cerebri acci-
dat læsa auditio, unâ reliquorum sensuum internorum
& externorum vitium Medicus deprehendet.

Th. 74. *Prognostica signa* quod attinet incurabile cen-
setur auditionis vitium ex prima mala organi composi-
tione ab ortu ortum, diutinum item, præcipuè si ex læso
nervo producat; hoc enim incurabile post sex menses
statuit Montanus & Forestus. Illa verò etiam post de-
cennium curatur iisdem testibus, quæ fit à meatuum ob-
structione, & quidem earum facilius, quæ à bile in primo
meatu

*Paulus Aegi-
netta l. 3. c. 23*

meatu auditorio, difficilius quæ in internis cavitatibus à pituita, tum constipatione & compressione accidit.

Tb. 75. *Ἀνεύρομα* non nisi naturæ opera tardè; tympani membrana, ejus muscutorum apospasma ossicula loco mota & vitia inde orta nunquam curantur.

Tb. 76. Intemperies simplex facilius quam quæ est cum materia curatur. Inflammatio enim delirium producere & hominem in vitæ discrimen conjicere potest; ut quasi attonitus moriatur. Ita juvenes magis periclitantur quam senes, ut qui intra septimum diem ut plurimum pereunt; idque & propter biliosi humoris abundantiam & sensus *ἀνεύρομα*, quæ vegetiores sunt quam senes. Si inflammatio ad interiora tendat majus adest periculum, & abscessus qui critico more die non critico cum malis signis accidit periculosior est; & contra.

Tb. 77. Si quid in aures inciderit & non extrahatur, inflammatio & hinc mors subsequitur teste experientia Matth. de gradibus. In ulceribus sanies spectanda, quæ si æqualis non foetens, ulceris non maligni, non pravi indicium est, & contra. Quæ si humida & diuturna non corrodentia in hyperfarcoma excrecere & meatum obturare solent; quæ verò erodentia sunt & ad os cranij pertingunt rarò aut nunquam curantur sed ut plurimum tertia die interimunt.

Tb. 78. Vitia quæ à flatu & aere & spirituum moto seu dissipato oriuntur mox curantur; gravis verò auditus paulatim incrementa sumens progressu temporis perfectam inducit surditatem. In febribus surditas cum urina absque sedimento delirium, post delirium si accidat victoriam morbi significat, quæ surditas biliosorum dejectione finitur.

Tb. 79. Certum atque per signa utrum læsa auditio seu surditas tolli possit nec ne, morbo victis manum secundum Hippocratis præcepta non adhibemus. Ne tamen hominem sine consolatione relinquamus; cogitandum est de medio, cujus beneficio ægro nostri animi sensa indicemus. Ita refert Platerus de quodam Abbate, qui visu, auditu & loquela ex morbi Gallici sævitia privatus, nudum adstantibus exhibuit brachium.

Hypoc. 3.
progn. Aph. 13.
Gal. d. 1. com.
Trall. l. 3. c. 2.
Cels. l. 6. c. 7.

Hypoc. 6. 2.
pid. sect. 6.

Gal. 3. de
comp. Medic.
sec. l. c. 3.
Hypoc. 4 Aph.
24. & 60.

in observ.

chium, super quod stylo propinqui ducebant literas, ex quibus literis vocem, ex vocibus sensum Abbas colligebat. Quod si aliqua salutis spes supersit ad curationem accedimus.

Tb. 80. *Curatio* secundum indicationes instituitur. Indicatur enim læsam auditionem esse tollendam, sublata, quæ eam fovet & efficit, causa. Cum verò varix sint læsæ auditionis causæ indicantes, varia quoque erunt indicata auxilia & auxiliorum materia seu remedia: hæc quoq; insignis diversitas in diversitate qualitatum medicamentorum, & modo utendi seu methodo medendi consistat: remedia circa causas infra in specie, in genere, verò quæ medicamentorum compositionem & formam modumque administrandi concernunt, ne toties repetere opus sit, hic prius proponemus.

Tb. 81. Quando itaq; per signa *morbum aurium essentialem*, & læsæ auditionis causam in ipso auditus organo prognatam & cumulata esse deprehendimus, corpusque purum sit, ut non habeamus quod metuamus affluxum, & ita nullum contra indicans occurrat: primo quovis tempore secundum quantitatem ab actione indicantis inventam indicatum medicamentum topicum loco affecto applico idque secundum modum & formam, quam auris pars affecta indicat.

Tb. 82. *Aurium remedia* auribus vel applicantur vel infunduntur. *Quæ infunduntur*, sunt decocta, succi, aquæ destillatæ, spiritus, olea, extracta, tincturæ, &c. Quin & immittuntur evaporationes. Ex his quæ levia non acria & fluida per clysterem auricularem Celsi & Sarbonis injicimus, acria vero olea &c. cum gossypij turunda iis madefactâ immittimus, ne humorum concitemus affluxum; cuius exemplum proponit Fabricius Hildanus. Auris quoque ante infusionem diligenter mundetur, ne sordes cum liquoribus mistæ arctius adhæreant, & obstructionis aut alterius mali causæ antecedentes fiant, inde jubent medici ut sæpius infusum medicamentum expurgetur, auris mundetur, & tandem novum infundatur, idq; tepidum, ne membranis actuali frigiditate noceat. *Quæ applicantur* exterius sunt fomenta, cataplasmata, unguenta & linimenta. Quod nisi summa neccitas in-

ulceribus,

Cent. 5. observ. 28.

ulceribus, inflammationibus, &c. urgeat, satius est apponere
medicamenta auribus, quæ ad naturam auris aeriam acce-
dunt & actu & potestate sicca sunt, ut suffumigationes, sac-
culi ex pulveribus siccis compositi & calentes. Quod si ma-
teria ex auribus evacuanda erit; conveniunt *massicatoria* &
apoplegmatisini qui per ductum auribus & ori communem
valde evacuant. Ita & *ptarmica* (cerebro tamen puro existen-
te) conveniunt, cum non duntaxat per nares evacuent, sed &
concitato interno aëre illud, quod obstruit excutiant; testibus
paulo & *Ætio*, quemadmodum Archigenes apud Galenum
inclamationes vehementiores ideo suadet. Cerebro vero
existente excrementitio, cum illud concutiant atque humores
moveant & obstructionem augeant, non conducunt.

*Fabr. Hil-
dan. obser. 12.
cent. 4.*

Tb. 83. Quod si humor & flatus ab alia corporis parte ad
aurem confluere, & auris per consensum duntaxat affecta
esse videatur; tota curationis spes in *evacuantibus, revellentibus,
derivantibus ac corroborantibus* est posita. Neque localia,
ne ex affectu levi gravissimus oriatur, administranda prius,
quam totius corporis & capitis facta est purgatio.

Tb. 84. Causæ indicabunt *Evacuantia*, humorum scilicet &
flatum purgationem, præparationem necessariam, & san-
guinis missionem. Quæ autem in parte *phlebotomia* institui
debeat, quæ sit evacuationis gratia, monstrat anatomia. Si
itaque *generalis* sanguinis detractio necessaria erit, tuto con-
spicua brachij vena inciditur, cum ab uno venæ axillaris trun-
co omnes prodeant. *Specialis* autem commodè instituitur
incisus post aurem venis, harum enim incisionem miraculi in-
star sapiens curasse surditatem refert *Oetheus*; ita quoque con-
ducit apertio venæ, quæ tragum & maxillam superiorem per-
reptat. Quod autem jam in partis affectæ vasis hæret re-
labi nequit; ob prætensas venularum valvulas. *Phlebotomiæ*
vices quandoque & *scarificatio* subire potest.

*in obseru.
propr.*

Tb. 85. Si sanguis cum contentis humoribus non critico
motu (hic enim non inhibendus est,) ad partem affectam
affluat; *revulsionis* gratia *æter* *Æiv* in brachio basilica, *media-
na*, *cephalica*, in pede *saphæna*, in manu *salvatella*, secari: in
diversis

l. 3. fen. 1.
tract. 2. c. 33.

diversis corporis partibus jugulo, scapulis, genibus &c. cucurbitulæ cum vel sine scarificatione affigi poterunt: Ita lotiones, frictiones & ligaturæ extremorum in eundem finem instituuntur. Quæ verò cauteria tam actualia quam potentialia in vertice nuchæ, temporibus secundum Avicennam; & setacia, vesicatoria, sinapismi in aliis corporis commodis partibus applicantur; & revellunt & evacuant.

Tb. 86. Derivationis gratia sub lingua in fronte & maxilla venæ possunt incidi.

Tb. 87. Intercipientibus medicamentis si locus detur, emplastrum ex gum: elem: tacam: thure. Masth. &c: parari, & circa exortum musculi Mastoidæ imponi poterit. Impediet enim ne humores per venas & arterias ascendant.

Tb. 88. Repellentia verò non nisi leniora, quando necessitas urget, hîc locum habent; fortiora enim materiam ad cerebrum repellunt, inflammationem, deliria & convulsiones excitant. Magis itaque auditum roborantia convenient, qualia sunt trifolium aureum, auricula ursi & cætera cephalica quæ & nervoso generi & spiritui animali sunt amica.

Tb. 89. Sed ad Specialem morborum curationem properamus, & intemperies simplices alteratione curamus per contraria. Ita frigidam intemperiem tollimus remotis causis externis antecedentibus aere scil. frigido &c. Jubemus ægrum intrare conclave calidum, & fovere aurem linteis calidis, medicamentisq; paratis ex fol: absinthii, chamæm: melilot: nardi, ari, amomi calaminth Centaur. min. Juniperi, laurus majoran. O. igani Pulegij Rutæ, thymi, serpilli betonic. Ocym. Rorismar. satur. salviæ Verbenæ, Stæchad arab. fl. lavend. Rorismar. beton. melilot. Chamæm. Stæchad. Arab. fr. amygd. amar. Bacc. Juniperi: Carpoball. Caryoph. Anacard. sem. Coriand. Ocym. amomi. Cardamomi. Cumin. succo Cepar: Euphor, thur. mastich. Styraç: A mitioribus tamen ad fortiora progredimur, habito respectu gradu frigiditatis; ne medicamenta nimis calida suâ virtute intus penetrent, cerebrum afficiant, & deliria & vigiliæ excitent.

Tb. 90. Intemperies calida si adsit conducunt medicamenta refri-

refrigerantia composita, ex *fol.* Plantag. solan. Lactuc.
portulac: sempervivi, salic. Vit: Umbil. ♀, myrt: Cucurb:
Nymph. lentic. pal: *Flor.* Rosar. Viol. Nymph. papav.
alb. borrag. *Sem.* Lactuc. papav. alb. melon: cucumer.
cucurbit. Citrulli, hordei, psyllii. *Rad.* rod. mandrag:
Lign. santal. Composita ex his practicum libri suppe-
ditant; qui verò individua curat, gradum intemperiei &
medicamenti consideret, ne empiricorum more quidvis
ex illis depromptum cuivis applicet. *Humida* si adsit
intemperies; siccis & calefacientibus modò th. 89. dictis
corrigitur, meatusq; stylo cui turunda est apposita, vel
suffumigio sicco siccatur.

Tb. 91. *Intemperies cum materia* curatur cum alteratio-
ne per contraria, tum materiae evacuatione. Ab hac
tamen semper incipiendum, cum impossibile sit, intem-
periem tollere, materia, quæ eam fovet, adhuc in eâ hæ-
rente. Si itaque adsit *intemperies frigida & humida cum*
pituita: quæ materia s. n. non in aures, sed cerebri ventri-
culis anterioribus cumulat, unde ad aures ut pluri-
mum delabitur; videndum utrum cerebrum ab intem-
perie, an verò ascendentibus vaporibus afficiatur. Si
hoc per signa deprehendimus, revulsionis & evacuatio-
nis gratiâ injicimus clysterem ex decocto malv. alth: be-
tæ: pariet: Beton: Hyssop: fl. stæchad. Chamœm. meli-
lot. & cæterorum cephalicorum. In cujus s. q. dissolvi-
mus elect. purgant. Ben. laxat: Diaphanic. Hier. s. comp.
Logad. Mel. Anthos. Rosat. colat. &c. addimusq; Ol.
Lil. albor. Chamomœl. Irin. Laurin. Rutac. Salis parum
& Troch. Alhand. aliquot grana. Hinc humor cum
crassus & viscidus sit in capite præparandus & attenuan-
dus incidentibus & abstergentibus, incipiendo à mitio-
ribus, ne major ad aures fiat affluxus, qualia pleraque cir-
ca intemperiem frigidam sunt proposita, quibus acce-
dunt Oxym. s. compos. scillit. Syr. de stæchad. Arab. s.
& comp. de Beton. d. hyssop. ex quibus cum cephalico-
rum

rum aquis destillatis & decoctis potiones præparari possunt. Materia si fluidior vel natura est, vel prædictis medicamentis tradita, expurgatur fol. sen. Agaric. turbit. aloë, Troch. Alhand. Pil. aur: coch: arab: luc. aloëphang: de agaric. assajar: spec. diaturb. sen. præpar. Et. Diaphan: diacathol: Indi major: diacarth: & horum &c. extract: cephal. purgantibus. Quibus præmissis & urgente necessitate reperitis ad particulares evacuationes deveniendum. Hæ autem vel insensibiliter per futuras admotis ex cephalicis paratis fomentis embrochis pileolis &c.; vel sensibiliter fiunt per palatum, oris collutione, inunctione palati & masticatoriis &c.: Quæ fiunt s. a. ex iis, quæ caliditate & acrimoniâ humorem fundunt & purgant, e. gr. sem. aneth. eruc. sinap. hyssop: Origan. Rad. capp. pyrethr. valerian. bac. laur. cubebar. cardam. gran. parad. galang. mastich: pip. albi. Rad. Irid. rec. Cyclam. Sem. staph. agr. Nasturt. agaric. &c. Ex quorum decoctis collutiones; ex grossè in eis s. vel cum cera & mastich. exceptis, vel eorum pulveribus c. succo formatis trochiscis, masticatoria; cum theriacâ, mithrid. mell. &c. mixtis palati inunguentâ l. a. parari, & tandem auritopica applicari, quibus & digerentia ex chamœmel. melilot. sem. lini foenugr: ung: alabastrin. & th. 90. præscripta admisceri possunt.

Ib. 92. Quod si peccet humor tenuior & serosus, non opus est præparantibus, cum ille ad fluxum aptus sit, & expurgetur. Crem., Crist. Pri, O, Tinct. Pri, mechoacan. gialap. gum. de Peru, fol. sen. Syr. Rosar. sol. de spin. cervin. fl. persic. gr. Tilli, ebuli, sambuc. &c.; & sudor provocetur decocto lign. Guajac. sars. parill. terr. sigill. C. C. Rob samb. lap. Bezoar. Bezoard. min. s. & t. O. S. Diaphor. Arcan. corall. Diacorall., Alexandri, & aliis pulveribus arthriticis Cratonis, Erasti, Monavii, Doncrellii &c.

Ib. 93. B.

Th. 93. Bilis cum intemperie calida & humidâ, ad aures Hipp. 1. apb.
vel in crisi vel extra crisin mittitur. In crisi negotium 20. 1. ad
naturæ committendum, nisi necessitas aliud suadeat, *Glauc. c. 15.*
absolutâ enim crisi inde prognatum vitium evanescit.
Quod si extra crisin occurrat morbi concomitantis &
partis mandantis aurisq; recipientis habenda est ratio,
& prout indicatur, bilis erit expurganda; & ne affluat
avertenda, idq; primo clystere refrigerante & emolliente,
ut viæ aperiantur; hinc usurpentur quæ bilis fervorem
& acrimoniam attemperant, th. 90. præscripta, & tandem
purgantia bilem, qualia Syr. Rosar. Violar. sol. El. lenit.
Diaprun. lenit. solut. Diacathal. de suc. Rosar. Pil. aggregat.
de Rhabarb. Venæ sectio etiam institui & th. 90. præscripta
topica applicari, granaq; mastichic:um passulis masticari
possunt.

Th. 94. Quod si vapores & spiritus flatulenti cum intemperie frigidâ, in aure aut cerebro generati; caput & auris
foveatur decocto foliorum Verbenæ, flor. Chamœmel. aneth.
melilot: fol. laur. rutâ, sem. Cumin. fœnic. &c. Vel ol. Cumin.
anif. aneth. chamœm. Irin. rutac. Tinct. c. ol. Therebinth.
auris irroretur & inungatur, vel pane calente spiritus vini
impregnato foveatur; Vel sacculus ex milio sale & prædictarum
plantarum pulveribus calentibus paratus imponatur: Vel, olea
moschusq; & castoreum lana bœmbicina excepta auri indantur.
Quod si vapores aliunde ex mesenterio & infimo ventre suppedi-
tentur, clystere paullo fortiore revellantur & purgentur.
Si ex ventriculo adscendant, ejus concoctio procuranda,
vitia emendanda, & flatus discutiendi erunt, convenientq;
pulveres peptici post cibum, Coriand. Cumin. Spec. Diacalam.
Diacumin. Dianif. Arom. Ros. Diamosch. Diagalang. &c.
Si verò cum flatibus adsit intemperies calida, usurpanda
erunt quæ vapores supprimunt, ut Conf. Rosar. Rob Rib.
Myrobal. Cond. Corall. Spir. Oli, salis &c. & curatio ut
th. 90. dictum instituat, interceptientiaq; & revulsionis
gratia ligaturæ instituantur.

l. 22. c. 7.

21. de Us.
Part. c. 12.

l. 6. c. 28.

Paræus l. 12.
c. 10.

Ægin. l. 8.
c. 27. Paræus
16. c. 22. Hil-
dan. cent. 1.
Obs. 4. 5.
Aquaped. in
Operat. chei-
rurg. c. propr.

Tb. 95. Auricula amissa deformitatem celabit, & usum alia ex papyro fabrefacta sec. Paræum, vel instrumentum sarbatana dictum præstabit, per hoc enim sonoræ species magis colliguntur. Ita si auricula in infantia nimis sit depressa, ligulâ ferreo circulo affixâ auricula à capite avertatur, quemadmodum Hadrianus Romanorum Consul, cum obtusius audiret, manus cavas à posterioribus ad anteriora spectantes auribus obtendebat, teste Galen. Quod si prædicta instrumenta non sint ad manus, alteram auricularum abscissam lanâ obturet; quemadmodum & meatum, si figura obtineat vitium.

Tb. 96. Si Vena sanguinem effundant, instituendæ sunt revulsiones, sanguinis missio, cucurbitularum applicatio, & extremorum ligaturæ. *Arteriola ἀνεύρομα* autem eo in loco manu cheirurgica non curatur; nisi quod salutariter arteriæ jugulares inciderentur. Naturæ itaque opus committendum erit, quæ circa ἀνεύρομα callo ferè osseo arteriam conglutinare solet, sec. Paræum. Interim vitet æger ea, quæ arterias flatuoso & calidioris spiritu possunt implere.

Tb. 97. Meatum auditorium si liquida obstruant, eaque exterius sint illapsa; patiens alteri pedi ejusdem lateris cum aure afficta innixus, capite parumper declivi saliat, & aquam excutiet. Aut ore & naribus patientis fortiter clausis per tubulum in meatum auditorium immissum humores exsurgent, & saniem per instrumentum piulcum extrahet Cheirurgus. Alij oleum infundunt, & ita cum oleo aquam evacuant, idque ab antiquis edocti.

Tb. 98. Quod si arida in meatum sint intrusa & quidem pisa &c. quæ humore aurium in se transumpto intumescunt, maturanda est extractio, quæ fit tenuibus vossellis instrumentisq; in formam auriscalpij excisis, vel terebellâ, quibus plumbeæ glandes è corpore extrahuntur. Corpuscula verò lapideæ duritiei cerebro existente puro, & ad concussionem ptarmicis proritato, reddito meatu lubrico amygdalarum oleo, & o. e naribusq; oclusis ad exitum sollicitabuntur. Quod si ne

si ne sic quidem aliquid proficimus novacula meatus audi-
torius aperitur, ut idonea instrumenta inmitti & illapsum
extrahi possit

Tb. 99. Si quæ *animalcula*, ut culices formicæ &c. mea-
tum intraverint, aut admota aliqua dulci illecebrâ ut pomo
dissecto capiatur; vel turunda glutinosa medicamine ut
therebinth: &c. illinitâ eximetur; vel instillato oleo &
paucis aceto, decoctoq; absinth. fol. & nucle: persicorum,
centaur. minor. menthastr. vermic. castor. & aloë addita fu-
moque Δ ris suffocabuntur.

Tb. 100. Quod si *excrementa* in exteriori cavitate hæ-
reant, abluantur inmisso per clysterem decocto; si in interio-
ribus incrassescere incipiant, immittatur urina pueri, & ex-
tracta cum spiritu vini fell. animalium taurinum vulpinum,
leporinum, inprimis turturinum & humanum, quæ & exterius
cum pulv. milij, serpilli &c. mixta applicari poterunt. Ita
& succus anguillæ cum felle mixtus & caro cochlearum,
contusa multum faciunt. Ad hæc, & si quæ *vermes* intus
generentur, faciunt vermes inter corticem & lignum arbo-
ris reperti & lumbrici, si oleo incoquantur, & hoc expressum
infundatur: quemadmodum & ex animalculis millipedes
dictis, exuviis serpentum, ovis formicarum; muribus, talpis
& cochleis olea arte chymicâ parari & applicari poterunt, ut
& unguentum ex ax: cap: Ol. Coryli & Φ dulc. gr. iij mixtum.

Tb. 101. *Grinum sanguinis* dissolvunt acetum tepefa-
ctum, & cum melle, oleo laurino &c. succo porri &c. mix-
tum.

Tb. 102. *Carnis excrescentia, fungus &c.* vel excidendus
velligandus, vel acribus & catheraticis exedendus & consu-
mendus, quibus in perficiendis summa mentis manusque
operatione opus est, egregium ejus exemplum invenio apud
Fabr. Hildan.

Tb. 103. *Tumor* vel in crisi prognascitur, qui, nisi urgeat,
naturæ relinquendus: vel extra crisin accidit estque varius.
Hic ad motis solventibus & modice repellentibus quin, pro-
ut indicans datur, indicata maturantia apponantur, vel re-
scindantur. *Callus* vero digerentibus, solventibus & atte-
nuanti-

Zacut. Lusitau. in histor. med: mirab.

Æquis. l. 6. c. 23.

Cent. 3. Obs. 1.

uantibus unctuosus oleaginosus & humidis curatur. Quod si *meatus* auditorius à fracto osse *comprimatur*, illud eximatur, aut manu & opera Cheirurgicâ subleuetur. *sec. Paracum.* l. 9. & 14.

Agin. l. 6.
c. 23.

Th. 104. Si *tympano* materia sordium adhaerescat, illud aceto abluatur & medicamenta adhibeantur quæ ex *Consil. Parac. parum* ¶ si secum vehunt & leviter sunt acria; abrasio verò cum scalpello minus videtur esse tuta. Si vitium solutæ unitatis incurrit, ut pars spermatica non restituitur, itaque circulus ex unguâ alcis &c. formetur osseus, qui seipsum potius est distendere, eiq; membranulam tenuem ex vesicâ suilla apponatur, auribusque indatur ut rupti locum substituatur, & aerem internum ab externi incursu defendat.

Hipp. 2. de
art.

Th. 105. *Vulnera* ut artis consuantur, siccantia & adstringentia iis applicentur & s. a. consolidentur; unctuosæ verò & ligaturæ arctiores vitentur. *Ulceræ* etiam mundentur mell. succ. Cucum. agrest. fell. agnin. &c. hinc exsiccantur & consolidentur cerussa, scoria ferri, thure, myrrha, tutia &c. de quâ vide *Parac. l. 13. & 14. §. de doloribus aurium.*

Th. 106. Si *musculorum* deperditus motus ex *nervi* vitio, aut ipsius *nervi & spirituum* accidat vitium, ea ferè hic cura instituatür quam levis requirit *Apoplexia, Epilepsia, Paralysis, Carus, syncope & uteri strangulatus*, semperque eo respiciendum, ut ea medicamenta eligantur, quæ & partem mandantem & recipientem aurem respiciunt e. g. in hysterica, applicetur castoreum, succinum &c. Ita si à *lue venerea, peste, febribus epidemias, veneno, opio, antimonio, Srio &c.* hoc malum ortum duxerit, & intus & extus cum cephalicis specificis eorum adhibeantur, quorum farraginem suppeditant *Practicantium volumina.*

Th. 107. *Restaret præservatio.* Verum cum in tot causarum evitacione plures præscribendæ forent regulæ, ne prolixior sim, eam cujusvis committo diligentia: Et *Dietam* causalis morborum debere esse contrariam, Veneremq; & animi affectus &c. in audicione lasâ esse fugiendos concludo.

DEO SOLI GLORIA.

94 A 7578

ULB Halle
002 715 147

3




sb.

1017

Ok 1999





Handwritten text on a small label at the top of the spine, possibly including the title or author's name, though it is mostly illegible due to fading and wear.

Handwritten text on the spine, possibly a library or collection mark, including the word "Inventar" and some numbers.





DISPUTATIO MEDICA ³⁰
INAUGURALIS
De
AUDITIONE

LÆSA,

Quam

Cum bono DEO & Autoritate Ampliſſimæ

Facultatis Medicæ

In Illuſtri Academia Wittenbergensi

Pro Licentia & ſummis in re Medicâ ho-
noribus conſequendis

PRÆSIDE

VIRO Excellentiffimo, Clariffimo & Experimentiffimo

Dn. MARCO BANZERO

Med. Doct. ejusdemq; Profefs. Ordinar. &

Primario, & Facult. Seniore,

Dn. Promotore, & Præceptore ſuo ſummâ
obſervantiâ colendo.

publico eruditorum examini ſubjicit

Gottfried Acidalius Marchicus,

Illuſtris. Duc. Holfat. Medicus.

In auroaterio majore horis ante & pomeridianis.

a. d. 19. Nov. Anno ∞ 15C XXXX.

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.

